

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3837

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Martin-de-Boscherville, Saint-Georges de Boscherville (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1277, septembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, accorde à l'abbé et aux moines de Saint-Georges de Boscherville de posséder leurs acquêts qu'ils ont faits depuis 30 ans.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 903, p. 217-218.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum abbas et conventus Sancti Georgii de Bauquerville, juxta tenorem ordinationis nostre, finaverint cum ballivis nostris Rothomagensi et Caletensi, super retinendis perpetuo acquisitis per ipsos in feodis et retrofeodis nostris, a triginta annis citra, que sunt hec, videlicet : per emptionem, in parochia Sancti Martini de Bauquerville, in feodo Harenc triginta quinque solidi annui redditus ; item, in eadem parochia, per emptionem in feodo de Creusemare, septuaginta solidi annui redditus ; item, in parochia Beate Marie de Roumare, in membro lorice de Bomare, viginti duo solidi annui redditus, per emptionem ; item, in parochia Sancti Martini de Bauquerville, ex dono Ade Anglici, quadraginta solidi redditus, in membro lorice de Yville ; item, in eadem parochia, ex dono predecessorum Radulfi de Ripparia, novem solidi redditus in ordeo ; item, in eadem parochia, in feodo Fabulet, quinque solidi redditus, ex dono. Item in ballivia Caleti, apud Espretot, ex dono Guillelmi de Vaux, sexdecim denarii redditus ; item, ex dono Rogerii de Colebonst, super unum molendinum in riparia de Brevedent, viginti solidi redditus ; item, ex dono Radulfi Cambellani, super preposituram Sancti Romani, quatuor libre redditus ; item, ex dono Guillelmi Le Chambellen, super dictam preposituram, decem libre redditus ; item, ex dono Gaufridi de Thiedeville, in parochia de Thiedeville, octo solidi redditus ; item, ex dono Ascelini Gaufridi, super Eustachium Porel quatuor mine ordei, estimate duodecim solidos redditus ; item, ex dono Ascelini Gaufridi, super heredes Galteri de Andeliaco, novem boisseli ordei redditus ; item, ex dono cambellani de Tancarvilla, super magnum molendinum de Aufay, quinquaginta solidi redditus ; item, ex dono Laurencii Rabel, super feodum Guerardi Quesnel, duodecim solidi redditus ; item, de venditione Johannis de Canteleu, militis, sexaginta solidi redditus vel circiter super paleas et forragia granchie de Toffreville ; que omnia estimata fuerunt triginta duas libras et duodecim solidos annui redditus ; nos, dictam finitationem ratam habentes et gratam, volumus et concedimus, quantum in nobis est, quod dicti abbas et conventus dicta acquisita tenere possint in perpetuum et pacifice possidere, sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in aliis jure nostro, et jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum,

presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Parisius, anno M^o CC^o septuagesimo septimo, mense septembri.